deinceps salubri et firma sanctione providebitis sic et non aliter
facturi pro officio suo et gratia nostra. Unius tantum ob aliquam ma-
gnam causam interesse valentem absentia minime obstante. Datum etc.

Comissio ad æstimandum molen-dinum proprijs impensis extructum.

Retulit ad nos Generosus etc. quomodo in fundo bonorum nostrorum
Regalium in fluvio sic dicto aquatile molendinum sumptu
proprio et impensis extruxerit sub ea spe. Quod super molendino
aliqua honesta summa ei et successoribus eius inscribi debeat ne ex
eiusmodi sumptu detrimentum accipiat quod ut faceremus idem
Capitaneus a nobis petiit. Nos itaque volentes morem antiquum in
talibus servari solitum observare et ea de re certius informari vobis
de quorum prudentia et probitate confidimus committimus harum
serie literarum ut captato convenienti tempore ad locum præfatum
descendentes ædificia præfata molendini diligenter conspiciatis
etiam illa quam proventus qui ex præfato molendino in futurum
annis singulis provenient taxatis et æstimetis. Et nobis de sin-
gulis quæ illis comperientis fideliter per literas vestras sigillis vestris
obsignatas informari curetis ut nos quoque sciamus qualem
summam dicto molendinatori ascribere debeamus. Facturi pro
gratia nostra et officio suo. Datum etc.

Comissio ad revidendum aliquem dificilem transitum

Ex multorum subditorum nostrorum relatione accepimus quomodo in
bonis Generosi B. M. in Terra sic dicta Generosa et ob difficilem illic
viæ publicæ et nimis secretæ transitum Mercatores et Vectores
ceterique homines multa incommoda patiantur. Supplicatum igitur
nobis est ut illis ea in re gratiose prospicere et in reparationem
illius stratæ publicæ eorum bonorum haeredi ab eis mercatoribus
et vectoribus illuc euntibus nonnihil Telonei concedere dignaremur.
Nos itaque de his certiores fieri cupientes vobis de quorum fide
et integritate confidimus committimus præsentibus mandamusque ut habi-
ta mutua sermonis communicatione certo die et tempore vestra conve-
nientes ad locum huius viæ publicæ in bonis præfatis B. sitæ perso-
naliter descendatis illicque acceptis de incommodis eiusdem viæ per-
transeuntium certis documentis et positione veritateque huius rei
cognita locum et viam huiusmodi publicam debite subiiciatis et
revideatis et quod in præmissis investigaveritis et cogno-
sceretis literis patentibus nobis recte et veraciter describa-
tis. Unius vestrum etc.